Quelle: https://manuscripta.at/?ID=889
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

hore per singula signa decurrens. Si quis scire in quo signo luna versetur. sume lunam quam volueris computare. utpote .xii. multiplica per .iiii. fiunt .xl.viii. partire per novem. novies quini quadragies quinquies. Quinque quot signis ex quo luna nata est exactis. que haut dubie in eodem quo sol est syderum semper accenditur. in sexto iam signo luna .xii. commoratur. Quod si unum remanserit .vi. horas signi sequentis noveris esse completas. Si duo .xii. si tria .xviii. si .iiii. diem integrum. Si .viii. octies senas horas. idem duos adiectos esse dies. Ex quibus tamen horis per tina semper signa binas subtrahe memento. Oppositum est enim in singulis signis. horas minutatim divide punctias. Unum in presenti quamvis ad novas portiones tria remanserint. non horas tantum .xviii. sed .xxvi. sexti signi .xii. luna complebit. Et hec quidem luna in prima vel media parte signi cuiuslibet nata prompta est computacio. Sin autem alias quod primo signo luna accensa. vel dempserit. vel retinuerit partes tot sequentibus etiam retrahere. vel adicere recorderis. viiii. horis in luna per quinque diebus in sole computatis.

## De eclypsi solis et lune. xxii.

Solem in conventu lune. lunamque terre obiectu nobis prohibent occultari. Sed solis defectum non nisi novissima primave fieri luna quod vocant coitum. Lunam autem non nisi plena. Non posse vero totum solem adimi terris intercedente luna. si terra maior esset quam luna. Omnibus autem annis fieri utriusque syderis defectus. statutis diebus horisque subterra. Hec tamen cum superne fiant usquequaque cerni. aliquando propter nubila sepius globo terre obstante convexitatibus mundi. Et lune defectum aliquando quinto mense a priori. solis vero septimo eundem bis in .xxx. diebus super terras occultari. sed ab aliis hoc cerni. quin etiam in .xv. diebus utrumque sydus defecisse semel. iam mira ratione lunam in occasu defecisse: utroque super terras conspicuo sydere. Sed ne singulis mensibus eclypsis fiet latitudo signiferi lunam supra inferiusve transmittit.

## Ubi non sit et quare. xxiii.

Defectus solis ac lune. vespertinos orientis incole non sentiunt nec matutinos ad occasum habitantes obstante globo terrarum. Neque enim nox aut dies. quamvis eadem toto orbe simul est. obpositu globi noctem. aut ambitu diem afferente. Tempore enim alexandri magni luna defecit in arabia. ora noc